Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1685) Lisez 1385

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis Disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 5. Aprilis 1685.

M. PETRO DE MERCENNE, Doctore Medico, Præside.

An calido & sicco corpori blandè purgantia mox ante cibum danda?

QUI viscerum nutritiorum, seu congenito seu ascito fervore præditi sunt, eorumdem sicciorem constitutionem brevi acquirunt, humore in dies sensim exhalante. Illi minùs sanam vitam degunt, pro pter pigriorem & astrictiorem alvum; quâ ferè nunquam nisi artis curâ & studio liberantur. Istud non tam privatorum quorumdam hominum, quàm nationum ferme integrarum vitium est, neque earum modò quæ calidas, sed etiam quæ frigidas regiones incolunt; quod civibus quoque nostris accidit, maximè verò biliosis, aut atrabilariis, quorum sanguinem perussere vigiliæ juges, vel vehementiora animi pathemata, vel durus labor, nimiaque corporis exercitatio, vel alea, aut vinum meracius, aut calidiorum acriorumve ciborum usus immodicus. Horum corporum ars tuendæ sanitatis maximam curam gerere debet. Ventris segnities omnium confusio; ut εὐλυσία præclaræ valetudinis pignus, & magnum ad vitam salubriùs ducendam præsidium habetur. Tantum corporis bonum affert humida victus ratio, quæ febricitantibus etiam convenit. Qui quotidie non egerunt, (quandiu alioqui benè se habent) astrictam alvum purgantibus solvere caveant. Hæc integrè sanis, præsertim verò lacertosis, valdè nocent. Calidis & siccis hominibus sit in alimento medicamentum. Hos cichorea levesque malvæ pascant; lactucæ, velfraga, pruna, ficus, mala persica, prandium incohent, aut claudant; jejuni ὡραῖους istos fructus edant ipsisque aquam fluvialem vel fontanam superbibant. Præterea illos tunc mirè juvat panis aquâ madidus, vel solus aquæ potus, vel aqua vituli, aut pulli gallinacei, vel ptisana, aut simile quidpiam humidum & refrigerans, quo calida plùs justo viscera, ad extremam ætatem, sinè noxa, manè carere non possunt. His vinum inimicum est: in vitro splendet, serpit ut coluber, nisi paucissimum sit & multâ aquâ perfusum; confert autem somnus & quies mediocris. Cum à sano statu evidenter recessere, eisdem ea medicamenta conveniunt, & ψυκτήρια, quæ bilem cæterosque impuros corporis humores, absque ullâ caloris, & siccitatis inustione, (quæ summa votorum esse debet) facilè, moderatè, ac cum optata εὐφορίᾳ subducunt.

ΘΕΡΜΟΚΟΙΛΙΟΙ non modò ventriculi, sed etiam hepatis & cæterorum viscerum acriori calore pollent, à quo nova bilis perpetuò cuditur, quæ morbos gignit dùm cumulatur & exundat. E ventre omnium morborum causa profluit. Eluenda est diligenter hæc sentina, quotidie deponendum excrementorum onus: si sinantur per plures dies, durescent in globulos, ut capris fieri assolet. Quod malum mirè avertes sæpius injecto ex sola aqua tepida clystere. Hæc prava colluvies ubi in alvi ductibus crevit, & insuetis incommodis, ac minùs firmæ valetudinis signis jam se prodit, apto tempore educenda est, modò ejusdem nimius fervor, aut, quæ in excrementis apparent cruditatis notæ, purgationem non remorentur. Ignem ferro fodere audet, quisquis crudum tumorem aperit: poma matura sponte decidunt: cruda, cum ea cui adhærent arboris parte, vi avelluntur. Purgatio blandissimè instituenda est, & solâ coëffusione, aut epicrasi, peragenda; alioquin intempestivâ medicinâ viscerum calor adaugetur, squallor accersitur, in furias agitur bilis, hepar, lien, & pulmones accenduntur, atque etiam universum corpus colliquatur & contabescit Vide ne dum viscera sordibus expedire cupis, ea deteras. Nonne ipsamet stannea aut ærea vasa tergendo exeduntur? Nihil magis ad vitam interest, quàm curare semper, & impedire, ne viscera citiùs arescant. Eò perpetuò spectare debet omnis Medici industria, qui priùs de intemperiei emendatione, ac de fervidæ & siccæ qualitatis temperatione (quæ fit moderato contrariorum usu) quàm de humoris noxii purgatione cogitare debet.

PURGANTIUM medicamentorum duæ species verè agnoscuntur; alia mochlica dicuntur, quæ magna cum perturbatione & vehementi impetu, veluti adhibitis vectibus, pravos humores ex universo corpore confestim, & copiosè eliminant. Alia blanda, à suo effectu nomen accipiunt, quæ moderato motu, & ut plurimùm sine molestis symptomatis, mediocrem vitiosæ illuviei copiam è prima corporis regione, hoc est è solo inferiore ventre, benignè expurgant. In mochlicorum censu venena, & simplicia venenis proxima, quæ paucissimâ quantitate data omnes naturæ amicos humores simul cum anima ejiciunt, non nisi perniciosè & scelerate reponi possunt. Mochlicorum & blandè purgantium ope ars Medica universè carere nequit; quid quid post veterem Asclepiadis errorem, nostrâ ætate renovatum, empirici quidam nunc reclament. Extrema vitia semper amplectitur audax & effræne istud hominum genus; nam aut purgantia omnino proscribit & tollit, aut vehementissimis solùm utitur, & hypercatharsi gaudet. Emetica, quæ utrumque ventrem purgant, ut Elleborum & Stibium, inter mochlica & validissima Pharmaca jure meritò numerantur. Quorum etiam quædam, ut scammonium & colocynthis, solummodò inferiorem ventrem movent. Mochlicis omnibus raró utendum, & priùs diligenti adhibitâ circumscriptione; scilicet cum vis morbi mitiora remedia spernit & eludit, ut in malignis & soporosis affectibus, ubi materia turget, & cunctari periculosum est. Cum salus ex momentis pendet, segnes Medicos hæc tempora non patiuntur. In contumacibus morbis, cum noxius humor altiùs & pertinaciùs in visceribus hæsit, ἴσον ἴσῳ & par efficaciæ medicamenti gradus pari a natura recessui opponi debet. Forti nodo fortis debetur cuneus. Blandorum purgantium, ut cassiæ, sennæ, & rhei usus (quo non sinè damno antiquitas caruit) optimo jure communis est & pervulgatus. Benigniora purgantia exposcunt, & vehementioribus exasperantur plurimi graves morbi, ut febres, inflammationes, & fluxiones omnes, cum posuere impetum, & calor mitissimus, ac remissio symptomatum apparent. Quin etiam eadem postulant mitiores morbi, qui Medicorum operam quotidie exercent. Omne nimium naturæ inimicum: quod paulatim fit tutum est. His cautionibus adde justam dandi cathartici dosim, & opportunum tempus, rem in universa arte omnium difficillimam, quæ à solis Medicis, qui prudentes, docti, & exercitati esse debent, sciri potest: Adeò fugax est & præceps occasio, ut purgationem vel nimiùm accelerasse, vel etiam distulisse, in acutis sæpe pœnituerit. Calidis & siccis corporibus mochlica infensissima sunt, & (si aliqua exceperis) simul cum alimentis dari non debent. Copiosior tamen cibus & quies elleboro sumendo corpus apparant; ut pinguia jusculа, si aliquo tempore post emetica sorbeantur, faciliorem vomitum cient. Ferventissimâ æstate difficiles sunt purgationes, sæpe tamen Lutetiæ non ardet canicula, ejusque vano metu terretur populus & à necessariâ purgatione avocatur. Calidis & siccis, id est biliosis, quibus plùs justo calent viscera, valdè proficiunt blandè purgantia; ea tamen suspecta habere debent, propter calorem & siccitatem, nisi cibis optimis simul assumptis temperentur, ac veluti cicurentur. Utrorumque operâ & communi subsidio alvus benignè vacuatur, refrigeratur; atque etiam humescit.

PURGATIONIS opus, non summus amaror, aut ingratissimus odor, non indomita materia & coctioni ac nutritioni inepta, sed purgantium spiritus (ignea scilicet, mobilissima, & tenuissima corpuscula, quibus hæc abundant) proprié ac verè efficiunt. Hi spiritus pro materia cui insident, plus, minùsve tenui, aliàs statim in ventriculo, cum emeticum sumpsit; aliàs solùm in intestinis, cum deorsum fit purgatio, primùm suscitari, & è medicamento emitti incipiunt; Inde singulos alvi recessus pertentant, ibique stagnantem illuviem exagitant, fermentant, diffundunt, eamque sic loco movent, ut per mesenterii vasa in intestina refluere, tandemque è ventre excerni cogatur. Turbido isto motu, & molestâ tum medicamenti, tum humoris morbifici qualitate, exquisitus partium sensus sic lacessitur & irritatur, ut dùm sese contrahunt, aut concutiunt, materiam noxiam simul, è corpore commodè, naturâ duce, expellant. Motu purgari corpora ipsa docet navigatio; docent quoque currus & vehicula; quin etiam exercitatio & deambulatio pigro ventri calcar admovent; sic in Scytharum hippace, vel nunc in butyro conficiendo, baculi verbere serum à reliquis lactis partibus secernitur. Inter purgans medicamentum & humorem purgandum quæ dam intercedere debet substantiæ similitudo; tenue tenui, crassum crasso, naturâ suâ faciliùs jungitur ac miscetur. Ut materia quæpiam aliam fermentet atque intus exagitet, priùs eam subeat necesse est, neque subire potest, nisi poros suis particulis excipiendis aptos & accomodatos inveniat. Hinc humoris purgandi quædam veluti fit electio, quæ in blando purgante potissimùm deprehenditur. Si sit παχυμερὲς, humorem melancholicum & crassiorem bilem educit, ut senna; si λεπτομερὲς tenuiorem, & serosos humores vacuat, ut syrupus rosarum pallidarum. Medicamentorum facultas à materiâ pendet. Purgantia omnia non solùm κινητικὰ, sed τμηματώδεα sunt ἢ ἀλμυρά. Ventris calore facilè attenuantur, & in halitum solvuntur. Benigna medicamenta minùs spiritus ignei, minùs etiam salis, temperie suâ obtinuere, quàm validiora purgantia & mochlica: nihilominùs in hoc casu etiam catelli mordent. Cum de purgando agitur, fuge quæ vis siccantia, ipsa etiam quæ leviùs viscera afficere creduntur. Ab illis cum ratione metuunt qui naturâ suâ malè se habent ad purgationes; sed præsertim à medicamentis cavere debent atrabilarii & perusti: vel qui circà umbilicum & pectinem ventrem habent siccum & extenuatum; quin etiam ii qui diuturnâ siti, tussi, raucedine, catharro, sanguinis sputo, spirandi difficultate, hæmorrhagiâ, hæmorrhoïdibus, vel hypochondriorum & totiùs ventris tensione cum dolore conjunctâ, & latenti dispositione inflammatoriâ, detinentur & divexantur. Istis omnibus sola cassia convenit, cum purgationis adest tempestivitas. Biliosis præter cassiam etiam alia blandè purgantia concedenda; sed ea aliquid siccitatis inurunt, si ab humectantibus, maximè verò si ab idoneis alimentis sejungantur. Quæ sic molliùs movent medicamenta, putrem, quem extrudunt humorem, in alvo inveniunt non faciunt. Hæc naturæ omnino adversari cave credas. Hostile non est quod eam sui officii admonet & ad propriam defensionem sollicitat. Quædam alimenta etiam pungendo placent, & suâ amaritudine grata sunt.

UT oleo flamma, sic dulci & oleoso alimenti humore nativus calor fovetur & conservatur. Hinc mortui, ἀλίβαντες. Summa alimentorum perfectio ab ea quam corpori nostro conciliant insigni humiditate pendet, quæ tantò aqueâ præstantior, quantò minus dissipabilis, & humido nostro primigenio longè similior deprehenditur. Eo fine blandè purgantia calido & sicco corpori ineunte prandio vel cœnâ, consueto edendi tempore, numquàm verò primis jam inceptæ coctionis horis, tutissimè exhibebis. Cibos selige optimi succi, & qui facilè distribuantur. Offam & vituli carnes appone, elixas potius, ut corpus magis fluidum reddatur. Assæ huic officio etiam aptæ sunt. Hac arte, cùm recentis chyli rivis venter irrigatur, alvi fœces dissolutæ commodiùs excernuntur. Alibilis succi benignitate humoris noxii feritas mitescit; bilis ustulata, impactaque, diluitur, liquescit, faciliùs fluit in intestina, promptæque ac fœlici excretioni matura redditur. Hinc partes omnes nutritiæ, quibus etiam thoracicas rectè comprehenderis, non solùm refrigerantur & humescunt, sed præterea muniuntur adversus medicamenti siccitatem, nullusque ideo relicti empyreumatis metus superest. Naturæ gratius est medicamentum quod simul cum alimento accessit: tunc quamvis partes adhuc stimulet, id præstat sub amicâ specie, nec gravi perturbatione ac molestis symptomatis naturam offendit, quæ quidem chylum ab alvi excrementis & pravis humoribus sapienti artificio semper secernit. Aqua paucis sennæ foliis medicata, & offæ permixta, quàm-plurimos pueros restituit, quos horridus sapor ab omni purgatione averterat. Eadem senna in aqua macerata (non autem in vino) atque etiam medulla cassiæ, aliis ætatibus in prima mensa profuit. Multos quoque tunc juvat paucus rhei pulvis. Odorata cùm ad gratiam, tum ad spiritus vitales & animales reficiendos, purgantibus rectè adjiciuntur: Quin etiam præter alimenta, alia quæ plurimùm humectant præsidia in auxilium vocari debent. Somnus post assumptum catharticum cibi vices aliquatenùs tenere potest. In balneo aquæ tepentis utiliter sumitur potio blandè purgans, at μοχλεία infensa est. Falso simplicitatis amore deluduntur qui plura simul simplicia commisceri vetant. Sal cibis additum vim suam non amittit sed perficit. Purgantium & alimentorum amicâ societate, ut vini & aquæ fœlici conjugio, bonorum bona crescunt, mala minuuntur atque etiam prorsus tolluntur.

Ergo calido & sicco corpori blandè purgantia mox ante cibum danda.

Afferebat Parisiis URBANUS LEAULT, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.